Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26359
Copyright: Admont, Benediktinerstift

·l·

sentit amitti posse, non inpensa cura teneantur, perdit securitatem, tantoque se ipsam minus cogitat, quanto magis secura est quod se non possit amittere. Ita cum aliud sit non se nosse, aliud non se cogitare, neque enim multarum doctrinarum peritum ignorare grammaticam dicimus, cum eam non cogitat, quia de medicine arte tunc cogitat, cum ergo aliud sit non se nosse, aliud non se cogitare, tanta vis est amoris, ut ea que cum amore diu cogitaverat, eisque cure glutine inheserit, attrahat secum et cum ad se cogitandam quodam modo redit. Et quia illa corpora sunt que foris per sensum carnis adamavit, eorumque diuturna familiaritate implicata est, nec secum potest inferre ipsa corpora, imagines eorum convolvit et rapit factas in semetipsa de semetipsa. Dat enim eis formandis quiddam substantie sue; servat autem aliquid quo libere de specie talium imaginum iudicet, et hoc magis mens, id est rationalis intelligentia, que servatur ut iudicet. Errat autem mens, cum se istis imaginibus tanto amore coniungit, ut etiam se aliquid esse huiusmodi existimet. Ita enim conformatur eis quodam modo, non id existendo sed putando, non quo se imaginem putet, sed omnino illud ipsum cuius imaginem secum habet.

Sicut autem duo quedam sunt, mens et amor eius cum se amat, ita duo quedam sunt, mens et noticia eius cum se novit. Ipsa igitur mens et amor et noticia eius tria quedam sunt, et hec tria unum sunt, et cum perfecta sunt equalia sunt. Si enim minus se amat quam est, ut verbi gratia tantum se amet mens hominis quantum amandum est corpus hominis, cum plus sit ipsa quam corpus, peccat, et non est perfectus amor eius. Item si amplius se amet quam est, velut si tantum se amet quantum amandus est deus, cum incomparabiliter minus sit ipsa quam deus, et sic nimio peccat, et non perfectum habet amorem sui. Maiore autem perversitate et iniquitate peccat, cum corpus tantum amat,